



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

9. De dieta in Wartberg domini Coloniensis et de ibi per dominum et capitulum actitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

appellationis infra describe prosecutione destinarunt. Qui in eadem causa ibi ad plures actus iudiciales processit tam diu, quam sancta Synodus Basileensis maxime tunc in vigore persistens, causas singulas in curia pendentes ad se et presidentes consilii vocaverat. Vocatione tali dictus Hermannus Basileam accessit, ibi causam committi fecit, ad terminos multos iudiciales processit, sic quod tandem reverendissimus pater, dominus Julianus, tituli Sancti Angeli cardinalis legatus in Germania, ob spem amicabilis compositionis interveniende illustri principi, domino Adolfo, duci Julie et Montensis, ad certum terminum commisit terminandam, ut hec infra suis locis extensius describuntur, sic quod ex tunc dicta causa mansit in prosecutione appellationis taliter in suspenso, donec tandem fortuitu, ut infra manifestatur, fuerat sospita et mirabiliter de consensu utrorumque, tam domini nostri Coloniensis, quam capituli ecclesie Paderbornensis terminata.

9. Quando vasalli per dominum Coloniensem missi ad dominum revertebantur secundum suam voluntatem, parum reportantes, tunc dominum induxerunt, ut per se civitatem Paderbornensem intraret, cives corrumperet et per se capitulum visitaret, ut sic eos melius flecteret pro intensione sua consequenda. Dominus talibus acquiescens a proconsulibus et consulibus civitatis predictae postulavit, ut ipsum intromittere sine liberatione¹⁾ vellent. Quod renuerunt, sibi annuentes, ut cum ducentis equis veniret, cum totidem eum vellent sustinere, et non ultra. Quod dominus egre ferens et pro confusione²⁾ non modica recipiens, civitatem intrare renuit, sed ad opidum Wartbergense se transtulit. Ibi iuxta suum desiderium receptus fuit. Ubi tunc capitulum,

¹⁾ Beföstigung, Verpflegung. ²⁾ Schande.

vasallos et burgenses ecclesie Paderbornensis ad se fecerat notabiliter et seriose convocare. Qui ibidem in magna multitudine ad suam presentiam convenerunt et ad locum capitularem fratrum Predicatorum ibidem congregabantur. Ipsis qualiter¹⁾ constitutis ibidem per Henricum Stapel, vasallum et confederatum cum capitulo, fecit causam suam ipsis notificare sub valde longo et prolixo sermone, ita diffuso, quod vix materia enarrata poterat a circumstantibus obtineri, per duas horas circiter suum sermonem continuando, sic quod omnes circumstantes stupebantur et mirabantur, extimantes²⁾, ad producta non posse respondere. Incepit (inquens, quod?)³⁾ per plures annos in antea ecclesia Paderbornensis esset in tantum devastata et hostium insultibus destituta, sic quod ad sustentandum proprium episcopum in suis redditibus non sufficeret, et preterea ante sua tempora fuisse condictum cum pie recordationis domino Frederico, archiepiscopo Coloniensi, predecessore domini nostri, per nobilem virum, dominum Henricum de Buren, pro tunc prepositum Paderbornensem, dominum Henricum Westphal, Hildebrandum de Uslaria, canonicos, Ffredericum de Driburg et Reynekonem de Lippia ex parte tunc domini Wilhelmi, episcopi Paderbornensis, quod ecclesia Paderbornensis debuisset, pro ut nunc est, ecclesie Coloniensi unita et incorporata fuisse.⁴⁾ Demum idem cum dicto domino Theoderico tempore sue receptionis sibi promissum fore, et ea propter certos dominos de capitulo ad partes Reni ad ipsum missos fuisse. Ultra hoc secum fuisse concordatum, ut post exitum vite sue ecclesia Pader-

¹⁾ folchergestalt. ²⁾ extimo = existimo.

³⁾ Die Lesung der beiden Worte in der Klammer ist zweifelhaft.

⁴⁾ Daß die Paderborner Kirche der Cölnischen hätte sollen einverleibt werden.

bornensis deberet circa ecclesiam Coloniensem per centum annos indivisa remanere, de quo dominus Coloniensis pretactus a capitulo literam patentem habente¹⁾, sigillo capituli sigillatam, sibi traditam et assignatam, referebatur, prout hoc extensius dictis literis continetur. Demum premissis subiungebat, Beatissimum dominum nostrum, Martinum quintum, papam, istis attentis proprio motu sibi et ecclesie Coloniensi ecclesiam Paderbornensem incorporasse et univisse, ut simul iuncte maiora reciperent incrementa et se efficacius tueri possent ex adversis, eo non instante, nec hec petente. Sic hec esse facta et patrata. Premissa multiplici²⁾ verborum coloribus fulciendo, prenomatos convocatos pro intencione domini consequenda incitando, ut sue voluntati promptius complacerent, petens tunc in presentia dicti domini Coloniensis et multorum suorum utriusque ecclesie bene quingentorum hominum, ut pretacti domini de capitulo ecclesie Paderbornensis, vasalli, proconsules et consules civitatum et opidorum ecclesie Paderbornensis ipsum suum dominum Theodericum, archiepiscopum Coloniensem, iuxta suarum literarum apostolicarum³⁾ in eorum verum dominum ut episcopum Coloniensem reciperent, sua bona feudalia, emphitheotica, allodialia et alia, quocunque nomine fungerentur, ab eo acciperent et tenerent, sibi resistenciam in hiis non facerent. Hoc erga quemlibet eorum coniunctim et separatim vellet iugiter pre oculis habere et promereri, de prenarratis, ita ut prefertur, ab illis ibi unitis sine dilatione affectans responsum.

10. Responsuri domini de capitulo, vasalli, proconsules et consules ecclesie, civitatum et opidorum ecclesie

¹⁾ Wohl ein Schreibfehler statt haberet.

²⁾ Schreibfehler für multiplicibus. ³⁾ scil. „tenorem.“